



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

Henicus dux Luneburgensis, tamen si titulum habeat Brunswicccensis principatus cum patribus, ditionem solam habet, quae vulgò communiter dicitur Luneburgensis: eam videlicet, quam olim Hermannus ab Ottone I. Imperatore subuectus in ducalem honorem, acceperat, quod arma eius ditionis commonstrant: Is inquam princeps, cum nonnulli militares securitatem ab illo praestitam oratoribus Brunswicccensis senatus violassent, diffunderentq; rumorem, non sine eiusdem commuentia rem esse peractam, indoluit illustre nomen suum commaculari, eosdem violentos quibus poterat rebus insectatus. Cessere illi in diocesim Magdeburgensem, excepti à contribulibus suis: Ibiq; cum nonnulli inter se militares causam armis, vt solet, intentatis versarent, erat in parte is qui hostes memorati ducis confoueret: oppugnatoribus eius partis submisit auxilia princeps memoratus, equites supra centum: Ea manus gladio & igne sauij in memorata diocesi, pertingens ad oppidum Balēstede, olim caput principatus de Aneholt: Quam rem archiepiscopus Magdeburgensis indignè ferebat, inflammatus à comitibus memoratis. Sed principes superiores Saxoniae Fridericus, & Iohannes, inter se, & archiepiscopi memorati germani fratres, non passi vltra progredi indignationem inter fratrem & sororium, (nam germanā eorundem principum tenet dux coniugem) vocat disidentes in oppidum Quedelenborg. Conuenerantq; archiepiscopus cum ambarum ecclesiarū Magdeburgensis & Halberstadenensis praelatis. Aderant memorati duces, comitesq; de Aneholt Waldemarus & Georgius. Adolphus Magdeburgensis praepositus stabat

cum archiepiscopo suo: Non aberat Henricus dux sepe-
 dictus. Ibi interuentu principū fratrum, placatur Mag-
 deburgensis sororio, cum aliquanta expromitteretur pe-
 cunia in compensationem damnorum. Rebus ex senten-
 tia compositis, redeunt in sua. Duo interim Henrici du-
 ces Brunsvicenses patruales, vnum tum sensere: Nam
 regressus illo itinere dictus iunior, in ipsa vrbe Brunsvi-
 censi salutauit seniore: ibiq³ causam duorum militari-
 um ad arma vsq³ dissidentium composuere. Non durauit
 in longum ille consensus, cum recordaretur quisq³ sua
 parte pactionum, quas superioribus annis bello in Brunsvi-
 cum intentato iniere. Visum est cuique minus se
 iusto tenere, cum plus deberetur: Ambo querulantur:
 Aliquot vicibus ad tractandum conueniunt. Sed creue-
 runt indignationes. Demum in Brunsvicum concur-
 runt: Ibi cum aliquandiu tractatum esset, in illam
 acerbitatem res excreuit, vt fierent alterna conuicia,
 cum altrinscūs improperebant, quæ videbantur con-
 tingere principalem honorem. Ibi Henricus dux senior,
 productis literis pactionum, vulgauit omnia consilia
 edomandarum & partiendarum urbium Brunsvi-
 co ac Luneburgo. Adstiterē multi quibus erat res in-
 comperta, libenter tamen & cupidè acciperent nudata
 consilia, vt cernerent suorum in se principum affectio-
 nem. Qui de parte iunioris assuere, consilio proximi,
 cum erubescerent, ad circunstantes urbicos volebant à
 se deriuare talis rei conscientiam: Sed nihil profuit, cum
 ex aduerso illis diceretur & locus & tēpus, quibus inter-
 fuissent. Cumq³ res summa indignatione partium dissi-
 dentium in apertum bellū respiceret, tanta erat securitas
 ducis senioris, vt armata suorum equitū ad sexcētos manu,

contenderet in castra Prouincialis Hassia comitis, qui ab hac parte oppugnat comitem Rheni Palatinum: Ab altera verò Romanorum rex suo sororio assistens Alberto duci de Monaco. Belli causa non minima: Contendunt enim Bauari de successione Georgij quem Diuitem cognominauere, cum ille moriens suos heredes non relinqueret. Exitus ipse in incerto est. Magnis vtrinquè viribus concurritur. Germania ferè tota fauet Alberto: cum alterum tueatur aurum plurimum, vnde stipendia ille largitur larga. Et si maior vis ingruat, respicit in Gallos, Bohemos, Vngaros, quos, vt ferunt, habet federatos.

ALBERTI KRANTZ
SAXONIAE LIBER XIII.
ET VLTIMVS
FINIT.

IN